PANDECTAE MEDICAE

SIVE

SVCCINCTA EXPLICATIO

RERVM MEDICARVM

IN

INSTITVTIONIBVS DIGESTIS NOVELLIS OBVIARVM

SRIPSIT

D. *CHRISTIANVS GOTTFRIDVS GRVNER.*

PROF. MED. IENENSIS.

IENAE 1800.

SVMTIBVS VIDVAE FIDLERIAE.



VIRO

DOCTRINA ET MERITIS

CONSPICVO

IOANNI ALEXANDRO EKER

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE DOCTORI AC PROFESSORI IN PERANTIQVA FRIBVRGENSIVM VNIVERSITATE CLARISSIMO ACADEMIAE CAESAREO - REGIAE MEDICO - CHIRVRGICAE VIENNENSIS SOCIO CET.

MEDICO VERE HIPPOCRATICO

FAVTORI ET AMICO

PLVRIMVM COLENDO

HANC

OPELLAM ANTIQVARIAM

HONORIS ET AMICITIAE

TESTIFICANDAE CAVSA

D. D. D.

AVCTOR.

PANDECTAE

MEDICAE.

PRAEFATIO

Quoties in memoriam adolescentiae redeo, (redeo autem saepissime) toties iuuat meminisse virorum de me longe meritissimorum, Geisleri, Mori, Ernesti. Qui cum puero et adolescenti sciendi cupido et ad quaeuis meliora

para-

parato guſtum litterarum humaniorum, graecarum latinarumque, inſtillarent, feruentique ingenio hortando et ſuadendo calcaria ſubiicerent, ignem et ſtimulos non detraherent, ſummam iis ſemper gratiam, pietatem honoremque habendum eſſe duxi, quod mihi naſci et adoleſcere contigerit iis temporibus. Sperare enim poteram, vt a talibus tamque eruditis viris educatus et omni litterarum genere imbutus, dignus aliquando exiſtam et illis, et patriae *). Sic parentibus multum, praeceptoribus plurimum debeo. Illi vitam, hi vero ſenſum boni malique dederunt, neque defuerunt vnquam iuueni conſiliis, inſtitu-

*) Sic ad me pertinere puto, quae PHILIPPVS ap. A. GELLIVM Noct. Attic. IX. 3. p. 120. ed. Ald. de ARISTOTELE ſcripſerat.

ſtitutione, exemplis ad imitandum propoſitis. Erat tunc Lipſia plena graecarum artium latinarumque diſciplinarum, colebantur ſtudia varia vehementius, nec negligebatur medicina ſub profeſſoribus artis et ſcientia, et dexteritate, et fauore conſpicuis. LVDWIGIVM et GEHLERVM nuperrime fatis defunctum nominaſſe ſufficiat. Ille me hoſpitem ac conterraneum fideliter in ſingulis diſciplinis, quae ad formandum medicum pertinere videntur, erudiuit, hic vero me a patre, ſene annis et meritis grauiſſimo, conſule Gorlicenſium emerito, in ipſo mortis diſcrimine commendatum domum ſuam recepit, et cum fratre lectiſſimo, eheu! nuper morte immatura erepto, fouit, excitauit, iuuit. Hinc factum eſt, vt, cum mihi

litteris humanioribus a pueritia ſuaſiſ-
ſem, nec iſte amor veterum ſcriptorum
et medicorum virum vnquam dimitte-
ret, ſed animum potius ex muneris
taedio et ſtrepitu feſſum recrearet, re-
rum varietate et conuitiis malorum ho-
minum preſſum excitaret, miſerrimo bel-
li ſtatu ciuiumque diſcordia conflictum
ad meliorum temporum ſpem euocaret.
Non deerit materia legendi et per omnem
vitam diſcendi, cui omnis patet antiquitas,
magnus ex his litteris fructus quaeri,
haud poenitenda delectatio animique
remiſſio ex his ſtudiis peti poterit, quam
plurimi recentiorum medicorum teme-
re negligunt atque ſpernunt. Vitam
ſine litteris mortem eſſe cenſeo, hae ve-
ro omnium temporum, aetatum et lo-
corum

eorum ſunt, auctore TVLLIO *), *haec ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium ac ſolatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, ruſticantur.*

Quorum vis et ſuauitas cum tanta ſit, quanta eſt maxima, ſaepe mecum indolui noſtrorum medicorum ſocordiam, qui nullam ab his litteris, quas omnino ignorant, vtilitatem ſperandam eſſe ad rauim vsque iactitant, maluntque eſſe per omnem vitam elementarii, quam docti viri, diobolari ſcientia acquieſcere, quam conſummata excellere,

*) Orat. pro ARCHIA poeta, p. 509. Voll. II. Opp.

Parui eſt ingenii de mentis paupertate ſtudiorumque neglectu gloriari, non pati poſſe opes et diuitias ſpernere, quibus commode potiri ac frui liceat, obtuſi eſt ingenii, ſemper humi repere, nihilque praeter praxin et panem, libellos vernaculos et circenſes; ludos ſectari, abiecti denique eſt ingenii malis artibus inclareſcere, iisque pecuniam primum quaerere, virtutem poſt numos. Eſt vero et illa litterarum humanitatis praeſtantia, vt hominem vitae priuatae publicaeque aptum reddant, praeceptis animum excolant, exemplis mores molliant, ineſt et omnis ſeculi monimentis, quod hominem et meliorem, et doctiorem, ciuem munere digniorem, ſcriptorem diſertiorem ac elegantiorem faciat. Hinc recte

SENE-

SENECA *), *lectio certa prodest*, inquit, *varia delectat*, neque cupienti librorum inopiam dolendam esse puto, magis vero suadendum delectum, ne copia nimia et indigesta velut mole sua ruat atque obruatur. Mirari tandem aliquando censores obscuri desinant, quorum haec scire interest, me in deuexa aetate constitutum ponere nec posse, nec velle istum litterarum humaniorum amorem, quem puer ceperam, iuuenis hauseram, et, data scribendi occasione, malle scrinia veterum auctorum compilare, quam historias morborum leues et incertas scribere, vel speciosis ac fumosis experimentis inclarescere. Non desunt medici, qui talia scribant,

*) Ep. 45. p. 126. T. II.

bant, obſeruatiunculas et miracula iactent practica, ſuam ergo cuique veniam damus petimusque viciſſim.

Haec quam maxime praemonenda duxi, cum falcem in alienam meſſem iniicere, ac in foro alieno litigare videar. Quaeris rationem, L. B. ergo accipe, ſi placet. Noueram latere in pandectis, inſtitutionibus, codice ac nouellis fundamenta iuris, et appellare identidem iureconſultos, ſiue actores rei, ſiue iudices, corpus iuris, tanquam dirimendae litis principium. Poteram ergo praeſumere in his recondita velutique ſparſa eſſe latinitatis veteris et communis ſemina, cum, qui in foro litigant, fere de rebus in quotidiana vita obuiis ac perſonis rixentur. Et in his

his deſcribendis ſaepius verſatur medicus, cui, ſi ad lexica ventum eſt, praeter inanem pauperiem et quandam quaſi barbariem nihil boni offertur, nihil, quod ad ſignificationem verborum iuris et aliarum rerum, de quibus contenditur, omnino pertineat. Vide ipſum recentiſſimum lexicographum, SCHELLERVM, et me verum dixiſſe profiteberis. Deſunt fere vocabula medica, iuridica, militaria, oeconomica, culinaria, domeſtica et id genus alia, et ſi quando ipſe rebus nouis noua vocabula quaerit, malus profecto Oedipus eſt. Redeant ergo ad corpus iuris, qui talia curant, nec habebunt, cur de impenſa opera doleant: Largam enim

enim meſſem facient, qua poſſint ditare lexica, et adiuuare latine ſcribendi negotio diſtentos miſereque vexatos. Adeant etiam medici, ſi velint et poſſint ſibi proſpicere, et inuenient cum verba, tum modum, quo de rebus ad communem vitae vſum, politiam et medicinam forenſem pertinentibus apte ac latine ſcribi debeat.

Inſunt praeterea corpori iuris argumenta quaedam mere medica, quatenus de ratione deciſionis quaeritur, ſed talia medici noſtrorum temporum non curant. Sibi placent morborum nominibus et formulis, ſibi de ſua ſcientia empirica, extemporanea, mendaci fere

ac

ac lucroſa plaudunt ſcilicet, pauci de iurisprudentiae et medicinae *) connubio veluti naturali et neceſſario cogitant, pauciſſimi, quantum memini, de ſepultura in vrbe, de ſectione caeſarea, ſi qua grauida ſubito exſtinguatur, de abortiuis cet. quaſi aliud agendo leges veteres memorant. Sed haec fere leuia ſunt, plura reſtant iuris momenta, quae medici docti et experti explicationem

*) Vid. C. Fr. Triller Exerc. de vinculo, quo medicina cum iurisprudentia cohaeret, Viteb. 1778. Delivs (Entwurf einer Erläuterung der teutſchen Geſetze, beſonders der Reichsabſchiede aus d. Arzneygel. u. Naturlehre, Erlang. u. Leipz. 1753, §. 5. p. 7.) aliqua innuit, non explicat.

nem desiderant; v. c. lex Aquilia, edictum aedilitium, de inspiciendo ventre, de vulneribus, de morte inferenda, de parricidio, de sicariis, de venenis, de statu impuberis et furiosi, muti et surdi, de deiecto et effuso, de stupro, de spadonibus, castratis, cinaedis, hermaphroditis, de tempore partus, de mancipiis venalibus, de medicis et professoribus, de archiatris rel. De his medice ac historice varia dici et scribi possunt, quorum nec vtilitas ambigua, nec cognitio superflua, nec iucunditas temere spernenda est.

Quare gratam istam tractationem *) iureconsultis fore non dubito, quam animi

*) *Corpus Iuris — opera et studio* SIM. VAN LEEUWEN,

mi laxandi gratia mihi ſcribendam ſumo, meque lubens ac promtus accingo operi, ſed ita, vt, miſſis POMPONII, VLPIANI, PAVLLI aliorumque prudentum decretis, intra eos limites me contineam, quibus medici perſonam rite ac commode tueri poſſim, fragmenta, quibus medici mederi poſſe videantur, ex principiis artis et pro viribus, ſed ſtrictim et carptim explicem, cetera, quae vel facile intelliguntur, vel ad alienum forum ſpectant, intacta et aliis illuſtranda

WEN, *Amſtel. et L. B. MDCLXIII.* Hanc ego editionem, et optimam, et ad vſum aptiſſimam in percenſendis fragmentis et commentario ſcribendo ſequor.

da relinquam. Pollicentur medici, quae medicorum ſunt.

Habes ergo, L. B. quae me factu-rum eſſe ſpondeo. Quam bene, viderint artis periti. Plura qui deſiderant a propoſito; meo vel aliena, vel vitae generi non ſatis apta, vel tempori, quod proluſionibus academicis fere datur, minus conſentanea, ipſi, ſi velint et poſſint, manum operi admoueant. Per me licet: Ego vero moror neminem vel nimis audacem, vel in re ſua diſertum. Fortes fortuna iuuat, curioſos variatio rerum delectat, iureconſultos confirmat medicorum iudicium.

Inſti-

INSTITVTIONES.

Iuſias *) nuptias inter ſe ciues Romani contrahunt, qui ſecundum praecepta legum coeunt, maſculi quidem puberes, feminae autem viri potentes. —

Quaeſitum eſt, an *furioſi filia* nubere, aut *furioſi filius* **) vxorem ducere poſſit, cum-

*) Inſtitut. Lib. I. Tit. 10. p. 5. ed. *Sim. van Leeuwen*, Amſtel. 1663.

**) *Furioſus* eſt, quem inſania longa et rabioſa tenet. Cf. ZACH. PLATNER Prol. qua me-

cumque ſuper filio variabatur, noſtra proceſſit deciſio, qua permiſſum eſt ad exem-

medicos de inſanis et furioſis audiendos eſſe contendit. Lipſ. 1740. recuſ. Opuſc. T. II. n. 18. p. 146. Quaeſtio iudiciaria eſt, num filius furioſi vxorem ducere, filia nubere poſſit? Quidni? Vitium mentis, quod patrem male habet, non ideo commune habendum eſſe videt r filiis, qui ſi ſanae mentis ſunt, faciant, quid e re eſſe videtur. Alia res eſt, commodae iſtae nuptiae et ſalubres ſint reipublicae, nec ne, ſi haec quidem aegritudo mentis gentilitia quaſique perpetua familiae eſt. Tunc equidem omnino diſſuaderem, quia latet anguis ſub herba, neque ſatis tuta ab his nuptiis poſteritatis ſalus eſt. Datur *mania* et *fatuitas hereditaria*, quicquid quidam auctores probabiliter, etſi non ſatis vere, ſcripſerint in contrarium. Cf. I. Cl. Rougemont Abh. über die erblichen Krankheiten, Francf. 1794. p. 107. ſeq. et Will. Perfect. Auserleſ. Fälle von verſchied. Arten des Wahnſinns, Leipz. 1789. Fall 24. 25. p. 265. ſeq.

exemplum filiae furiofi filium quoque (furiofi) poffe et fine patris interuentu matrimonium fibi copulare, fecundum datum ex noftra conftitutione modum. —

Sed *) et illud vtriusque adoptio-
B 2
nis

*) Ib. L. I. Tit. 11. §. 9. p. 6. Mira eft apud iureconfultos et medicos confufio atque difputatio de *fpadonis*, *eunuchi* et *caftrati differentia.* Vid. P. ZACCHIAE Quaeft. med. legal. T. I. L. II. Tit. 3. Qu. 7. p. 199. feq. *Spado* fignificat in genere virum, cui impotentia generandi ineft, (Digeft. L. 50. Tit. 16. n. 128. p. 781.) ideoque ifta generalis appellatio fub fe comprehendit varias formas, quarum vna eft a natura i. e. a partu, fi deeft vnus alterue tefticulus, (ARNOB. adu. gent. L. V. p. 163. et ff. De iure dot. fi ferua) altera eft vi vel arte facta, fi cui teftis vterque vel alteruter ante pubertatem ademtus, euulfus vel deftructus eft, (huc pertinent *thlibiae* et *thlabiae*, de quibus vid. PAVLLVS De
Re

nis commune eſt, quod et ii, qui generare

Re Medic. V. 68. p. 580. Coll. Steph.) tertia orta eſt ab vitio frenuli vel glande imperforata alienoue loco forata, (hi rectius dicuntur *hypoſpadiaei* ſub auctore PAVLLO l. c. Lib VI. 54. p. 573.) quarta a morbo temporario profecta eſt, eoque ſanabili.

Apud SVIDAM explicatur *ſpado* per ὁ ἐκτομίας, (tunc idem eſt, qui caſtratus) apud STEPH. BLANCARDVM Lexic. med. Vol. II. p. 1156. ed. Iſenſl. dicitur eſſe *in genere eunuchus ſeu teſticulis orbus, proprie vero, qui propter contuſionem vel in vniuerſum propter alium eorum morbum ſemen prolificum producere impos eſt*: Tunc iterum idem eſt, qui eunuchus. Quo ſenſu ſumitur apud IVVENAL. Satyr. 6.

a domino factus ſpado.

Sic explicari debet apud LIV. Hiſt. IX. 17. dum *mulierum et ſpadonum agmen* iungitur. Poterat ergo *ſpado* coire, nonnunquam generare, ſi quando nec iſta naturae vis omnino

rare non poſſunt, (quales ſunt *ſpadones*)

B 3 ado-

no demta, ſed debilitata et quodammodo fracta erat. Quo ſpectat IVVENAL. Sat. 1.

cum tener vxorem ducat ſpado,

Interdum *ſpado* et *eunuchus* promiſcue ſumuntur, v. c. HORAT. L. Epod. Od. 9. v. 13. *rugoſi ſpadones*, apud ſeriores ſcriptores *ſpado* et *equus ſpadatus*, *eunuchizatus* et *ſpadatus*, in Digeſt. L. 48. Tit. 8. n. 5, p. 729. *ſpadones facere* idem eſt, quod *caſtrare*, apud ALEXANDR. APHRODIS. Problem. 10. p. 205. ed. Lugd. dicuntur *ſpadones imperfecti*, quibus circa pubertatem teſtes exſecti confractiue fuerant, reſidua rei venereae cupiditate. At vero non male diſtinguit SINIBALDVS Geneanthrop. L. III. Tract. 5. c. 3. p. 321. *In caſtratis et eunuchis*, inquit, *eſt negatio fecunditatis*, *in ſpadonibus priuatio tantum*, illi ergo nunquam generare poſſunt, hi ſub conditione poſſunt.

Eunuchus (cf. WITHOF De caſtratis commentatio, Duisb. 1756) eſt per ſe animal

ſexus

adoptare possunt, *castrati* autem non possunt. —

Furio-

sexus nullius et significationis dubiae. In genere est, cui desunt testiculi, ideoque demta virilitas i. e. ea pars corporis, per quam viri sumus, et inire cum spe sobolis possumus. Huic ergo hominum generi nullum est semen, recte monente auctore Hippocratico L. De Genitur. §. 3. p. 125. T. I. ed. Lind. De varia vocis significatione vid. FOESIVS Oeconom. *Hipp.* p. 250. DIETERICH Iatreum *Hipp.* n. 357. p. 491, et WEBER Onomatol. med. T. I. p. 2654. ob species eunuchorum scurriliter allatas.

Est ergo *eunuchorum* nomen et peruetus, et generale: Id quod colligitur loco Matth. 19. v. 12. p. 86. Vol. I. ed. sec. Griesb. vbi CHRISTVS sospitator memorat *eunuchos ab vtero* i. e. sine testibus natos vel virilibus male conformatos, *eunuchos ab hominibus* i. e. castratos, *eunuchos per religionem* i. e. se ipsos castrantes per castitatem opi-

opinionemque ſalutis aeternae vel famam ſcilicet. Ad primam claſſem pertinent, qui carent et ſcroto, et teſtibus, vel, quod fere vſu euenit, eos intus habent reconditos. Talis fuit DOROTHEVS, epiſcopus Antiochenus, teſte EVSEBIO, (Hiſt. Eccleſ. VII. 28. p. 177. ed. Baſ. 1528.) etiam circulator ille callidus, puellis Ienenſibus infeſtus et inſidioſus, cuius, ni fallor, meminerunt, G. W. WEDELIVS et SIMON. (Delineat. impotent. coniugalis, Ien. 1682.) Ad alteram referuntur tantum non omnes, qui vel ob vocem acutam et ſonoram pueri, vel per vim illatam, morbum et neceſſitatem aegri ſecti ſunt, vel ſtudio ac arte imbelles atque inhabiles veneri facti. Ad tertiam ſpectant ORIGENES (Euſeb. Hiſt. Eccleſ. VI. 6. p. 135. et COMBABVS (Lucian. De Dea Syria p. 768. T. III.) quin ipſi melancholici, qui in furorem et rabiem acti ſibi ipſi virilia demetere auſi ſunt, vel ex parte i. e. ſolos teſtes, vel omnino i. e. vna cum mentula. Cf. KÜHN, viri cl. Comm. de melanchol. genital. ſibi praecidente, Lipſ. 17. —

Speciatim dicuntur *eunuchi*, quibus testiculi casu laesi, cultro vel medicamentis exsecti sunt, scroto vacuo, residua cicatrice, vel vna penis resectus atque praecisus est, ne qua coeundi potestas vel suspicio virilitatis superesset. De his valet HORAT. Serm. I. Sat. 2. v. 44.

Quum etiam illud
Accidit, vt quidam testes caudamque salacem
Demeteret ferro.

Hinc etiam isti homines dicuntur κατ' ἐξοχὴν *castrati*. Priores forte nominandi videntur *castrati imperfecti*, posteriores *perfecti*. Illi rem habere cum mulieribus possunt, iudice GUARINONO Consil. 462. p. 529. sed sine damno famae mulierum et ventris, (hinc cari fuerunt puellis et matronis Romanis, teste ac censore IVVENALI Sat. 6. *volles eunuchi*) hi vero nec inire possunt, quia deest mentula, vel potius, si verbis PACIFICI MAXIMI vti licet, turpiter decidit. Hoc etiamnum Turcis (SCALIGER Exercit. 104. Sect. 8. p. 387. et BVSBEQV. Epist. Itin. Turc. p. 137.) familiare esse dicitur, ne eunuchi, quibus datum est thalamos seruare pudicos, possint vel audeant illicito mo-

do

do insidiari mulierum pudicitiae. Eunuchi, quibus testis quidem nullus est, sed penis reliquus cum liquoris prostatici copia, sentiunt, iudice idoneo GALENO L. De Vsu Part. XIV. 11. p. 791. T. II. Opp. lat. veneris stimulos atque igniculos, et vacant furtiuis amoribus. Ad hos spectasse videtur TERENTIVS Eunuch. Act. 4. Scen.. 3.

At pol ego amatores audieram esse mulierum eos maximos,
Sed nihil potesse.

Ex eorum grege sine dubio fuit apud MARTIALEM Epigr. 7. L. IX. *spado moechus*, item EVTROPIVS apud CLAVDIANVM, *qui adulteriis creuerat.* Hi quidem viros se simulant, et sectantur mulieres, sed irritus labor est, cum liquor prostaticus, quem inter amplexus effundunt, prolifica destituatur vi.

Duplex erat *castrandi* animantis ratio, (PALLAD. De Re Rust. VI. 7. p. 276. ed. Ald.) *comprimendo* et *resecando testes*, hinc intelligitur, quare Levit. 22. v. 24. θλαδίαν, καὶ ἐκτεθλιμμένον, καὶ ἐκτομίαν, καὶ ἀπεσπασμένον, tanquam mutilum, deo offerre nefas erat. Vtraque castratio inde a

prifca aetate translata temerario aufu in homines ipfos eft, quippe SEMIRAMIS regina (AMMIAN. Hift. XIV. 7. et CLAVDIAN. in Eutrop. I.) omnium prima teneros mares caftraffe perhibetur, deinde tentata a chirurgis iuffu potentum in feruis, (PLAVT. Afinar. Act. I. Scen. 3.) et in adulteris, (VALER. MAX. Dict. Fact. Memorab. VI. I. n. 13.) fi quando in feruenti fcelere deprehendebantur. Artem caftrandi defcribit PAVLLVS De Chirurg. lib. int. FELIC. Baf. 1533. c. 68. p. 15. cf. REGN. DE GRAAF De Viror. Organ. p. 4. feq. Opp. et inter recentiores SCHMVCKER Chir. Wahrnehm. 2 Th. S. 354. THEDEN Neue Bemerk. u. Erfahr. Th. I. S. 50. WARNER Chir. Vorfäll. S. 194. Prima eft *per collifionem* i. e. cum teftes calida laxati et molliti digitis comprimerentur adeo, vt tandem omnino euanefcerent, certe durati et nucleo fimiles remanerent, (hoc VALERIO l. c. eft, *nervis contudit*,) altera *per exfectionem* i. e. teftis vterque refecatur. Antiquitas artis turpiffimae cernitur Deuter 23. v. 1, vbi a collegio facro abeffe iubetur

ὁ θλαδίας et ἀποκεκομμένος, ſimiliterque ſpecies vtraque eſt apud HIPPOCRATEM L. De Genit. l. c. Hoc ergo apud NONIVM MARCELLVM (De Propriet. Sermon. Antw. 1565. p. 75. et 135.) eſt *eunuchare* ac *euirare*, in Dig. *eunuchum facere*, ſeriori aetate *eunuchizare*.

Praeterea *eunuchi* facti ſunt *ſine ferro* i. e. ſuperhabita radice cicutae ex aceto trita, vt litteris prodiderunt PLINIVS Hiſt. Nat. XXV. 13. et MARCELL. De Medicam. Empir. c. 33. p. 251. ed. Baſil. et poſt eos ANDR. MATTHIOLVS (Comm. in Dioſcor. L. IV. 74. p. 542. et RVELLIVS De Nat. Stirp. L. III, 113. p. 617.) at vero Aegypti ſacerdotes modica cicutae ſorbitione. v. Io. LANGE Epiſt. Med. 69 L. I. p. 370. Quae cicuta cum ſit narcoticae indolis, videtur iſta virilitatis auferendae ratio ad priorem ſpeciem, *per colliſionem*, quodammodo eſſe referenda, quia poterat circa pubertatem illata omnem neruorum vim retundere ac teſtes contrahere, ne qua ſupereſſet in poſterum ſeminis ſecernendi copia.

Erat

Erat etiam *castratio prophylactica* s. *voluntaria*, vt homines tuti essent ab elephantiasi, (AETIVS Tetrabibl. IV. Serm. I. c. 122. p. 665. ed. Steph.) quia sub auctoribus HIPPOCRATE (Aph. 28. Sect. 6. p. 100. T. I.) et CELSO (De Medic. IV. 24. p. 189. ed. Lugd.) caluitium et podagra raro tentant castratos, negantibus SENECA Epist. 95. et ORIBASIO Loc. Affect. Curat. IV. 118. p. 671. cum illi homines euirati proter otium et luxum vtrique morbo essent aeque obnoxii. Nuperrime resecuit mercatori chirurgus Berolinensis, BILGVER, testiculos ad exstinguendam nimiam libidinem scilicet.

Ex his, ni fallor, egregie colligitur, quare castratus nec vir, nec femina, (OVID. Amor. II. Eleg. 3. et LVCIAN. Eunuch. p. 163. T. IV.) sed semiuir esse dicebatur, quasi medius inter mares et feminas, vt olim Scythae apud HIPP. De Aere, §. 49. p. 356. T. I. cur *consul eunuchus, ferri memor*, tam male habebat CLAVDIANVM: l. c. vt in iusto quasi dolore ipsam castrandi viam ad viuum exprimeret.

Aduo-

Aduolat Armenius, certo mucrone recisos
Edoctus mollire mares, damnoque nefandum
Aucturus pretium, fecundum corporis ignem
Sedibus exhaurit geminis, vnoque sub ictu
Eripit officiumque patris nomenque mariti.

Quin exinde intelligitur, quare LVCIANVS l. c. p. 165. eunuchum philosophum iubet inspicere, *εἰ δύναιτο φιλοσοφεῖν τάγε πρὸς τῶν ὀρχέων*, eumque spadone deteriorem censet, quoniam hic quidem se virum ex parte praebere potest, ille vero exsectus et virilitate omni spoliatus generare nullo modo potest.

Quibus strictim et carptim explicatis, facile est de legis vi iudicare. *Castrato* non licet *adoptare*, cum ei a puero sint exsecti testes et demta omnis generandi vis,, hinc pro morboso habendus est, *spado* contra, quatenus natiuitate, casu, morbo, *monorchis* est i. e. vno teste (RIOLAN. Anthropogr. II. 31. p. 272. BORELLL. Obs. med. phys. Cent. 2. obs. 60. p. 160. TIMAEVS a GÜLDENKLEE Opp. L. III. Cas. 45. p. 165.) praeditus, altero priuatus, vel *parorchidio* aeger i. e. testiculo (GAVB. Pathol. §. 243.) e scroti sacco

sur-

ſurſum retruſo, aliena ſede inguinis impacto, vel κρυψόρχις ſ. *teſticondus* i. e. intus (GRAAF l. c. p. 7. et SCHVRIG Spermatol. c. 2. §. 14. p. 55. ſeq.) in abdomine, quo ante partum latebant, teſtes quaſi occultans vel in vtroque inguine (GAVB. l. cit. §. 257.) retinens, ſcroto nullo, qualem equidem noui egregie mentulatum et libidinoſum, vel vacuo et flacco, cicatrice nulla, habet omnino ineundi generandique vim. Nihil enim refert, quo loco et ſitu teſtes ſint, modo adſint iſti ſeminis fabri et rigidus penis, cuius miniſterio in ſinum muliebrem deferatur. Nulla eſt, iudice PAVLLO l. c. certe dubia generandi vis in *hypoſpadiaeis*, etſi grauidam fieri poſſe mulierem cl. METZGER (Verm. med. Schrift. 1. B. n. 5. p. 192. ſeq.) contendit, anceps et improbabilis eſt, ſi de iis quaeritur, quos legislator nominat *thlibias* i. e. quibus colliſi per vim, artem et caſum teſtes ſunt, adeoque compreſſi, vt vaſa ſeminaria ſuo munere amplius fungi nequeant, et *thladias* i. e. quibus teſtes a cremaſtere ſeparati et auulſi ſunt. In his quia omnino ſublatus eſt vaſorum ſeminalium aditus cum ipſa ſeminis ſecernendi

poten-

potentia, nulla ſupereſt generandae ſobolis ſpes, in illis vero aliqua, etiamſi perexigua, ſupereſt, ſi iſtud infortunium, iſtam genitalium cladem; qua nulla grauior viro, nulla indignior accidere poteſt, perpeſſi ſunt ſub aetate adultiori. Tunc enim fieri poteſt, vt, teſte altero illaeſo, vel alterutro parte quadam (VAN DER LINDEN Medicin. Phyſiol. p. 275.) integro, nec omnia vaſa obliterentur, et aliqua ſeminis conficiendi atque eiaculandi poteſtas relinquatur. In pueris ſi quid acciderit, ſpes generandi demta in perpetuum eſt, quia teſtis colliſione iſta fractus ante pubertatem et omni creſcendi vi orbatus ſenſim pedetemtimque deteritur quaſique conſumitur, referuntque nihil tales viri, modo hoc nomine digni ſunt, niſi minutula marcidaque corpuſcula in ſcroto pendulo. Hi quidem inire poſſunt, ſobolem procreare non poſſunt. Probe noui virum et ſanum, item inſigni naſo et mentula praeditum, cui vxor eſt amabilis et liberorum percupida, ſed teſtis vterque puero colliſus crudeli rota ſcilicet. Virum ſe praebet, ſed ſine effectu.

fectu. Cf. VALENTINI Nouell. Med. legal. Caſ. 6. p. 23. *De coniugio eunuchi.*

Vnum reſtat dubium, *ſpadones* generandi vim habeant, nec ne. In textu negatur, et alio loco (Dig. LXXI. Tit. I. n. 6. p. 305.) cum conditione admittitur. Legitur apud SVIDAM PYTHIADIS ex eunucho generatio. Miraculoſae mehercle nuptiae, ſi haec vera eſſe debent! Nominantur etiam *thlibiae* et *thadiae.* His equidem generandi poteſtatem omnino denegarem, quia teſtes ſunt temere ac omnino colliſi, ergo inhabiles veneri fecundae cenſendi. Qua de re favor legis mihi videtur inde natus, quod virorum more et inire, et liquorem vuluae infundere poterant, isque liquor apud veteres communi voce γονῆς i. e. geniturae ſiue ſeminis comprehenditur, et veteres medici γονοῤῥοίαν per *ſeminis profluuium* vertunt, etiamſi humor, quem in gonorrhoicis mentula plorat, mucus glandularum meatus vrinarii tenuatus, non Semen eſt.

Sume-

Furiofus vel *minor viginti quinque annis* tutor

Sùmebatur ergo profufus proftratae liquor pro vero femine, credebanturque fpadones e collegio virorum effe, cum naturà fuą et actu non, nifi femiuiri fint.

At vero callidae mulierculae, vt furtiuam celarent venerem, quaedam exempla factae conceptionis atque grauiditatis retuliffe dicuntur! Recte ac praeclare fcilicet! Erant enim Romae omnía venalia et credibilia. *Memorat* SILIMACHVS, HIPPOCRATIS *fectator*, tefte CAELIO AVRELIANO, (Morb. Chron. I. 3. p. 290. ed. Amman.) *contagione quadam plurimos ex incubo, veluti lue, apud vrbem Romam confectos*, infectatur IVVENALIS puellas romanas ideo, quod abortiuo opus effet. Quidni perfuaderent mulieres in amoribus totae fpadoni credulo fe ex coitu irrito effe factas grauidas, tuncque poterat cum OVIDIO (L. Amor. II. Eleg. 13.) exclamare:

Et

*) tutor testamento datus tutor tunc erit,

Et tamen aut ex me conceperat, aut ego credo.
Est mihi pro facto saepe, quod esse potest.

Sed quid prohibet, quo minus *castrati* idem ius adoptionis consequantur et habeant? Idem enim agunt ac peragunt, quod spadones, donec superest mentula integra et illaesa: Cui ignotus est castratus Berolinas longe famigeratissimus arte cantandi et futuendi? Intelliguntur sine dubio h. l. castrati, quibus resecti testes cum mentula erant, iique spadone multo deteriores et inferiores sunt, quia eis deest ea pars, qua viri sumus, ergo nec licet quidem veneris castra sequi, nec amantium more militare. His quidem nullum adoptionis ius esto.

*) Ib L. I. Tit. 14. §. 2. p. 7. *Furiosum*, si lucidi interualla habet, tutorem esse i. e. munia tutoris per vires corporis ac animi obire posse, equidem lubenter largior, sed an satis recte et cum commodo pupilli, fere

erit, cum compos mentis aut maior viginti quinque annis fuerit factus. —

Pupilli *) pupillaeque, cum *puberes* eſſe coeperint, tutela liberantur. *Pu-*

fere ambigo. Hoc enim hominum genus, etiamſi furoris expers et pacatum eſſe videatur, eſt vel extra acceſſionem paullo hebetius ad iudicandum et tardius ad officia peragenda, quia facillime ac inopinanter redeunt ad ſuetam inſaniam, ſi vel res inuiſa, vel homo quidam odioſus animum ſatis mobilem ſubito ciet atque vehementer vrget. Talia vero in foro non deeſſe inter omnes conſtat. Mallem ergo dari tutorem ſanae, quam inſanae mentis, ne quid detrimenti res et opes pupilli capiant. *Minor aetate* fere idem eſt, ac qui imbecillus mente ac iudicio immaturus eſt.

*) Ib. L. I. Tit. 22. et Tit. 23. p. 8. *Pubertas* ab incipiente ac creſcente pube nomen habet.

bertatem autem veteres quidem non ſolum ex annis, ſed etiam ex habitu corporis

habet, et nota veneris peragendae ferendaeque certiſſima eſt: Hinc dicitur iſta *aetas nubilis*. Haec fere incidit in vtroque ſexu in annum XIIII. vt ex auctoritate medicorum retulit Macrobivs, (In Somn. Scipion. L. I. c. 6.) etſi per fauorem legis feminis annus XII. competere ſtatuitur. Id quod exinde mihi manaſſe videtur, quod quaedam puellae voluptuariae, plethoricae ac laute viuentes, cum maxime ſub caelo calido, citius matureſcere ac menſtruare incipiant. Quo viſo ſanguinis menſtrui fluore, iureconſulti recte ſtatuunt feminam eſſe viri potentem et conceptioni aptam. Id etiam apud nos nonnunquam incidere probat exemplum, quod exp. Waitz in l. *Thüring. Bothe* nuperrime retulit. Datur ergo *pubertas ſueta ſ. naturalis* i. e. annis certis adſtricta, et *praecox* i. e. cum maturitate corporis ac animi citata, datur etiam *plena pubertas* (Inſtit. L. I. Tit. 11. §. 4. p. 6.) i. e. decem

poris in mafculis aeftimari volebant. Noftra autem maieftas dignum effe caftitate noftrorum temporum (exiftimans) bene putauit, quod in feminis etiam antiquis impudicum effe vifum eft, id eft, infpectionem habitudinis corporis, hoc etiam in mafculos extendere. Et ideo noftra fancta conftitutione promul-

cem et octo annis conftans. Haec quidem et naturae, et legi aptiffima effe videtur. De tutore lege prouifum et fancitum eft, vt ad annum XXV. vfque porrigatur et conftituatur tutela, quia vires naturae, conftitutio corporis et iudicandi prudenterque agendi vis fibi non femper aequales funt. Exceptio ergo legis in maturiori iudicio et rerum gerendarum facultatae quam maxime cernitur. Cf. N. H. GVNDLING de pubertatis probat. ap. Roman. p. 23. in Gundlingian. W. G. PLOVQVET Diff. fift. aetates humanas, earumque iura, Tubing. 1778. et l. vom menfchl. Alter und den davon abhängenden Rechten, ibid. 1779.

gata, *pubertatem in masculis* poſt decimum quartum annum completum illico initium accipere diſpoſuimus, antiquitatis normam *in feminis* bene poſitam in ſuo ordine relinquentes, vt poſt duodecim annos completos viri potentes eſſe credantur. — Maſculi quidem puberes et feminae viri potentes vsque ad viceſimum quintum annum completum curatores accipiunt, quia, licet puberes ſint, adhuc tamen eius aetatis ſunt, vt ſua negotia tueri non poſſint. —

Furioſi *) quoque et prodigi, licet maiores

*) Ib. §. 3. p. 8. *Mente captus*, quatenus minus apte de rebus extra ſe poſitis et ſenſus ferientibus iudicare poteſt, *ſurdus* et *mutus* a natiuitate, quatenus nec audire dicta, nec pronunciare animi ſenſa poteſt, *aeger perpetuo morbo* i. e. inſanabili, nec per ſpatia infeſtante correptus, pro aequalibus pube-

iores viginti quinque annis ſint, tamen in curatione ſunt agnatorum ex lege duodecim tabularum. — Sed et *mente captis*, et *ſurdis*, et *mutis*, et qui *perpetuo morbo* laborant, quia rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt, curatores dandi ſunt. —

Et *) quidem naturali iure *communia* ſunt omnium haec, aer, aqua profluens, et mare, et per hoc littora maris. —

puberum et impotentibus habendi ſunt, et ab omnibus actibus iudicialibus prohibendi, quia eis per imbecillitatem mentis non licet rebus ſuis recte proſpicere. Eadem ratio *furioſi* eſt, cum is, qui ſibi ipſe proſpicere non poteſt, etiamſi annis maturior ac corpore validior, ob mentis imbecillitatem in numero impuberum recte collocatur,

*) Ib. L. II. Tit. I. §. I. p. 9. *Communia* i. e.

Testes *) adhiberi possunt ii, cum quibus testamenti factio est, sed neque *mulier*

i. e. omnium sunt, sed ita, vt legibus quodam modo restringantur, neque cuique liceat iis promiscue vti, sed cum conditione. Ita etiam communia sunt *iura hominum*, ea tamen lege, ne nimis in damnum alterius extendantur.

*) Ib. L. II. Tit. 10. §. 6. p. 14. Satis perspicua lex est, cum qui testes esse idonei velint, iusta aetate, sana mente rectoque iudicio esse, audire voluntatem testatoris, verbis exprimere, literisque consignare debeant. Maniacus, cuius furor intermissus et per ambitus rediturus est, potest sub hoc tempore haberi pro sano, (mente enim constat) ergo etiam hoc in statu testamenti factionem habet, minime, si furore perpetuo est: Id quod infra CAIVS satis clare ac recte scripsit. Alia quaestio est, an iure testari possit is, quem *delirium febrile* tenet. Ego vero testamenti factio-

mulier, neque *impubes*, neque ſeruus, neque *furioſus*, neque *mutus*, neque *ſurdus*, — poſſunt in numerum teſtium adhiberi. — Teſtamentum *) facere non

ctionem ad hunc pertinere nego, quia ſimiliter, vt furioſus, mente ſana caret, certe non ſatis compos mentis eſt. Cf. ZITTMANN Medicin. Forenſ. Centur. V. Caſ. 81. pag. 1344. ſeq. et VALENTIN. Corp. Jur. Med. Legal. P. I. Sect. I. Caſ. 6. p. 9. Immo vero vel extra febris exacerbationem ſumma ineſt corporis mentisque imbecillitas, qua aeger propius abeſt ab leniori dementia et fatuitate, ideoque dubium eſt, tale teſtamentum recte factum ſit, nec ne. Male teſtatur, qui morti proximus velutique in procinctu teſtamentum fecerat. Hoc enim teſtatio mentis integrae eſſe debet. Quin, bene monente METZGERO, (Syſt. d. gerichtlich. Arzneyk. §. 410. p. 370. ed. alt.) abroganda iſta teſtamenti factio videtur, certe legibus reſtringenda.

*) Ib. Tit. 12. §. 1. et 3. p. 15.

possunt *impuberes*, quia nullum eorum animi iudicium est, item *furiosi*, quia mente carent. Nec ad rem pertinet, si impubes, postea pubes, aut furiosus, postea compos mentis factus fuerit, et decesserit. *Furiosi* autem, si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est, iure testati esse videntur, certe eo, quod ante furorem fecerint, testamento valente. Nam neque testamentum recte factum, neque vllum aliud negotium recte gestum, postea furor interueniens perimit. — Item *surdus* et *mutus* non semper testamentum facere possunt, vtique autem de eo *surdo* loquimur, *qui omnino non exaudit*, non, qui *tarde exaudit* *). Nam *mutus* **) is intelligitur

*) *Surdus, qui omnino non exaudit,* est *perfecte surdus* i. e. qui nullos omnino sonos percipere potest, (Graeci hoc vitium κώφωσιν nominant) *qui tarde exaudit* i. e. qui aliquos quidem

gitur, *qui eloqui nihil poteſt,* non *qui tarde loqui-*

dem ſonos percipit et diſtinguit, ſed tantum graues et paullo fortiores, debiliores minime. Haec eſt *auditus grauitas* ſ. βαρυηκοία, leuius quidem vitium, quod per ambitus et augetur, et exacerbatur, hinc magis vel minus graue eſt. (v. TRNKA DE KRZOWITZ Hiſtoria Cophoſeos et Baryecoiae, Vindob. 1778.) Haec quidem auditus difficultas eſt et intermittens, et continua, in ſenibus fere inſanabilis, hinc ſemper dubia chirurgia, quae proceſſus maſtoidei perforatione fit. Cf. (KÖLPIN) Die letzte Krankheit des H. C. R. v. BERGER, Copenh. 1791. et J. ARNEMANN Bemerkungen über die Durchbohrung des Proceſſ. maſtoid. in gewiſſen Fällen der Taubheit, Götting. 1792. c. f. Datur etiam *paracuſis*, i. e. voces articulatas diſtincte audiendi difficultas vel impotentia. SAVVAGES.

**) *Mutus, qui eloqui nihil poteſt,* laborat vocis priuatione ex partium organicarum vitio,

loquitur. Saepe enim etiam literati et eruditi homines variis *caſibus* *) et audiendi, et loquendi facultatem amittunt. — Sed ſi quis *poſt teſtamentum factum* aduerſa valitudine aut quolibet alio caſu mu-

tio, eaque mutitas gradu differt ab aphonia, *qui tarde loquitur*, ex imbecillitate talis eſt. Haec impotentia a ſyſtematicis dicitur *iſchnophonia* i. e. vitium pronunciationis, quo ſyllaba ſyllabae cito copulari non poteſt, contrarius eſt *battarismus* i. e. quo ſermo praecipitatur. VOGEL. Non male huc etiam refertur *balbuties* et *blaeſitas*, quae vitioſa vocum pronunciatione conſtant.

*) Natura mutum Q. PEDIVM memorat PLINIVS Hiſt Nat. XXXV. 7. ictu tegulae in caput illiſae obliuioſum et memoria debili MESSALAM oratorem, caſu ſine alia laeſione Eph. N. C. Decur. 2. a. 10. obſ. 197. Si quis *poſt teſtamentum factum* talis eſt, ratum manet teſtamentum, quia conditionibus lege conſtitutis gaudet.

mutus aut ſurdus eſſe coeperit, ratum nihilominus manet eius teſtamentum. *Caecus* autem non poteſt facere teſtamentum, niſi per obſeruationem, quam lex D. Ivstini, patris noſtri, introduxit. —

Si *) mulier, ex qua poſthumus aut poſthuma ſperabatur, *abortum* **) fecerit, nihil impedimento eſt ſcriptis heredibus ad hereditatem adeundam.

Mutum ***) neque ſtipulari, neque promittere poſſe palam eſt: Quod et in *ſurdo* receptum eſt, quia et is, qui ſtipulatur, verba promittentis, et is, qui pro-

*) Ib. L. II. Tit. 13. §. 1. p. 15.

**) Ib. L. III. Tit. 20. §. 7. 8. p. 27. *Poſtumus abortiuus*, quatenus vitalis non eſt, ideoque nec legitimus, heredibus officere nullo modo poteſt.

***) Ib. L. III. Tit. 20. §. 7. 8. p. 27.

promittit, verba ſtipulantis audire debet. Vnde apparet non de eo nos loqui, qui tardius exaudit, ſed de eo, qui omnino non audit. *Furioſus* nullum negotium gerere poteſt, quia non intelligit, quod agit. — *Infans* *) et qui infantiae proximus eſt, non multum a furioſo diſtant, quia huiusmodi aetatis pupilli nullum habent intellectum. —

Item **) is, ex cuius coenaculo, vel proprio ipſius, vel conducto, vel in quo gratis habitat, *deiectum effuſumque* ***) aliquid eſt, ita, vt alicui noceret, quaſi ex maleficio obligatus intelligitur. Ideo autem non

*) Ib. Lex per ſe clara eſt. *Infans* aequiparatur furioſo, ſed ita, vt in hoc fere nullum ſit iudicium, in illo imbecillum, nec ſatis maturum, neque, quid iuris ſit, intelligat.

**) Inſtit. L. IV. Tit. 5. §. 1. p. 53.

***) Haec quidem propter curam publicam, ne

non proprie ex maleficio obligatus intelligitur, quia plerumque ob alterius culpam tenetur. — De eo vero, quod deiectum effusumue est, dupli, quantum damni datum sit, constituta est actio. Ob hominem vero liberum occisum quinquaginta aureorum poena constituitur. Si vero viuat, nocitumque ei esse dicatur, quantum ob eam rem aequum iudici videtur, actio datur.

Iudex enim computare debet *merce-*

des

ne cui ex alterius leuitate vel incuria fiat iniuria. Cf. E. B. G. HEBENSTREIT Lehrsätze der med. Policey Abschn. 9. §. 269. p. 143. Non ergo ferenda sunt subgrundia, antefixa, (v. GRABALD. De Partib. Aed. Dictionar. p. 120. ed. Arg.) antepagmenta, tectoria et id genus aedium ornamenta, quorum casus inopinus aliorum capita ferire ac laedere in perpetuum potest, neque permittendum est, vt matularum sordes interdiu vel noctu effundantur, vel cadauera,

limus

des medicis *) praeſtitas ceteraque impendia, quae in curatione facta ſunt, praeterea operas, quibus caruit, aut cariturus eſt ob id, quod *inutilis* **) factus eſt. —
Et

limus et id genus alia inquinamenta plateis proiiciantur, ob maleficium, aeris communis corruptionem et viarum immunditiem ſcilicet. De aeſtimatione damni viderint iudices.

*) Cf. J. Chr. Levshneri De ſoſtris veraque horum appellatione ac differentia excurſus, Lignit. et Lipſ. ſ. a. et quae ad calcem p. 44. adiecta eſt Sempronii Gracchi Meditatio de ſoſtro medico. Iuſtae certe ſunt mercedes, cum, quae a medico emitur *vita et valetudo bona*, teſte Seneca, (De Benefic. VI. 15.) *res eſt inaeſtimabilis! Mercedem non meriti, ſed occupationis ſuae fert. Non rei pretium, ſed opera ſoluitur.* Hinc etiam verum eſſe videtur, quod alio loco idem ſcribit, *erga medicos non mercede defungor, ſed plus quoddam debeo, quo plus impendunt.*

**) *Inutilis* i. e. mutilus ſ. laeſus.

Sic

Et *) *morbus*, et *aetas*, et neceſſaria *peregrinatio*, itemque aliae multae cauſſae ſaepe hominibus impedimento ſunt, quo minus rem ſuam ipſi exequi poſſint. —

Item **) lex Iulia de *adulteris* coercendis, quae non ſolum *temeratores alienarum nuptiarum* ***) gladio punit, ſed et eos, qui *cum maſculis* ****) nefandam libidinem

*) Inſtit. L. IV. Text. 10. p. 36. Habent illa excuſationem iuſtam in obeundis officiis publicis, *morbus* et *aetas* ob imbecillitatem, *peregrinatio* ob neceſſitatem et abſentiam.

**) Inſtit. L. IV. Tit. 18. §. 4. p. 38.

***) *Temeratores alienarum nuptiarum* i. e. adulteri, quatenus alienum torum violant.

****) *Cum maſculis.* Vulgo dicuntur *cinaedi.* Vitium erat apud Graecos et Romanos vul-

nem exercere audent. — Eadem lege Cor-

gare, a diuo PAVLLO Epiſt. ad Rom. 1, 26, 27. ſatis bene expreſſum et recte diuiſum. Ἅι τε θηλείαι μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν, id eſt, feminae pati natae, vt eleganter SENECA, (Epiſt. 95.) viros ineunt, et hoc peruerſo impudicitiae genere feminam exeunt: Id quod vocabulo medico, παρὰ φύσιν, ſignificat. Similiter pergit, οἱ ἄρσενες, ἀφέντες τὴν φυσικὴν χρῆσιν τῆς θειλίας, ἐξεκαύθησαν ἐν τῇ ὀρέξει ἀυτῶν εἰς ἀλλήλους, ἄρσενες ἐν ἄρσεσι τὴν ἀισχημοσύνην κατεργαζόμενοι, id eſt, miſſo concubitu muliebri, eoque naturae conueniente, viri cum viris rem habuerunt: Hoc vero et contra naturam, et ſceleſtum iure habebatur. Erat ergo duplex ſcelus, aliud mulierum inter ſe, aliud virorum. Illud iterum vel manibus peragebatur, vel re, videturque eſſe idem, quod S. CHRYSOSTOMVS (v. DU FRESNE Gloſſar. Med. Graecit. T. I. p. 856.) dixerat μαλακίαν. Scribit enim ſic, ἐὰν γυνὴ εἰς μαλακίαν ἑαυτὴν ἐκδώσασα ταῖς ἰδίαις χερσί, id eſt, ſi maſturbationem facit, eaque duplex, vel propria, vel aliena manu per-

(Cornelia) et *venefici* capite damnantur, qui artibus odiofis, tam *venenis*, quam *fufurris magicis* homines occiderint, vel *mala medicamenta* *) publice vendiderint. —

peracta. Τῆς μαλακίας δύο εἰσὶ διαφοραὶ, inquit, μία μὲν ἡ διὰ οἰκείας χειρὸς ἐνεργουμένη, ἑτέρα δὲ δι ἀλλοτρίας, hinc apud eundem occurrit γυνὴ ἡ μεθ᾽ ἑτέρας γυναικὸς μαλακισεῖσα, hinc μαλακείαν δουλεύειν, i. e. pati tale corporis fcelus, inter turpia et illicita habebatur. Alterum, quod conftat re vel actu, ad *tribadas* pertinebat. Quo fine dubio fpectat ἀῤῥενοκοιτεία, quae ibid. T. I. p. 889. inter feptem peccata numeratur, et fic definitur, vt mulieribus et viris communis fuiffe videatur. En ipfa verba! ἀῤῥενοκειτιά ἥτις ὑπὸ δύο ἀνδρῶν ἄνευ θηλείας ἐν τοῖς μηροῖς, ἡ καὶ πάρ᾽ αὐτῶν θηλειῶν ἄνευ ἀνδρὸς ἐλεηνῶς ἀποπληροῦσθαι πέφυκεν.

*) De *adulteris*, *cinaedis* et *veneficis* infra pluribus. *Mala medicamenta* funt, quae vim nocen-

nocendi et occidendi habent, (hinc ap. Cels. De Medicin. III. 22. eſt *corpus malis medicamentis affectum*) apud iureconſultos ſaepe *venenum* ſignificant, cum *pharmacum* a graecis promiſcue ſumtum et *venenum*, et *medicamentum* eſſe poſſit, et, addita qualitate, quod et quale ſit, recte conſtituatur. Hinc φάρμακον δηλητήριον et ἀκεστήριον, *malum* et *bonum*, apud medicos legitur, adſcripta virtute, item *pharmacum catharticum*, *hypnoticum cet.* Varro apud Nonivm Marcell. De Propriet. Sermon. p. 373. dic. *medicamentum bibere* pro *venenum bibere*. De *ſuperſtitioſis* et *magicis medicamentis* vid. Dieterich Iatreum *Hipp.* voc. λόγος p. 723. ſeq. et. P. Fr. Arpe. De prodigioſis naturae et art. operibus talismanes et amuleta dictis lib. ſingular. Hamb. 1717. Hoc hominum perditiſſimorum genus, quod fraudibus malisque artibus paſcitur, Lud. von Hörnigk in *Politia medica oder Beſchr. deſſen, was die Medici — in Obacht zu nehmen*, Francf. 1638. Tit. 18. p. 171. ſeq. ſub nomine *Cryſtallenſeher*, *Geltzenleuchter*, *Landfahrer*, *Ofenſchwärmer*, *Hiſtorier*, *Storger*, *Zeergarer*, *Wahrſager* rel. recenſuit, et multis argumentis

Spadones *) autem, qui generare non possunt, adoptare possunt, et licet filios generare non possint, quos adoptauerunt filios habere possunt.

Sub

mentis grauissime puniendos censuit. *Susurri magici* sunt *carmina* ap. VIRGILIVM et Q. SERENVM SAMMONICVM, *versiculi, verba* et *voces* ap. HORATIVM, ἐπῳδαὶ et λόγοι θελκτήριοι ap. EURIPIDEM, *Segensprechen* ap. HÖRNIGK l. c. p. 190.

*) *Caii* Institut. Lib. I. Tit. 5. §. 4. p. 44. De his vide, quae supra vberrime scripta sunt. Videntur huc referendi, quos Graeci μαλακοὺς appellant. Ita enim ap. DU FRESNE. l. c. Append. p. 125. scriptum legitur. τρεῖς εὐνοῦχοι εἰσὶ, ὁ θλιβίας, ὁ καςράτος, καὶ ὁ μαλακὸς ἐκ κοιλίας, quem CHRISTVS Matth. 19. 12. *eunuchum ab vtero* dixit. Nam paullo post ita definiuntur, οἱ ἐν σχήματι γυναικῶν πρὸς τὰς γυναῖκας εἰσίοντες ἢ ἀπαλοί.

Sub *) curatore ſunt *minores aetate*, maiores euerſores, *inſani***), Qui vero euerſores aut inſani ſunt, omni tempore vitae ſuae ſub curatore eſſe iubentur, quia ſubſtantiam ſuam rationabiliter gubernare non poſſunt. —

Item

*) Ib. Lib. I. Tit. 8. p. 44.

*) Ex notiſſima iureconſultorum regula, *ſemel furioſus ſemper praeſumitur furioſus, demens de praeterito praeſumitur etiam demens de praeſentia.* v. P. Zacchiae Quaeſt. med. leg. L. II. Tit. I. Quaeſt. 23. p. 159. Remanet tantum non ſemper quaedam mentis imbecillitas et hëbetudo, vt diſpoſitio morbi breui redituri, quem ira, odium et id genus motus animi vel res ſubitae facile reuocant. *Euerſores* et *interuerſores* ſunt prodigi, hinc *euerſio domus, euertere patrimonium* pro *dilapidare* ponitur.

Item *) et ii, qui *furioſi*, id eſt, *mente inſani* fuerint, non poſſunt facere teſtamentum. Sed ii, qui inſani ſunt, ſi interualla ipſius inſaniae habent, per interualla, quibus ſani ſunt, poſſunt facere teſtameata. —

*) Ib. L. II. Tit. II. §. 4. 5. p. 45. Vid. quae de his paullo ante ſcripta ſunt.